Fratri Josepho.

Ex pio Capucinorum Ordine viro impio,
Theologo Luthérano,
Amandi Richely Cardinalis Sacrilegi
Simulato poenitentiæ Sacramento infandas culpas.
Non tam audienti quam augenti,
Seraphici Patris filio dæmoniaco
Stigmatibus, sed in faciem dandis, dignissimo
Religioso amictu irreligiosam animam tegenti:
Quod cædibus in Alpinum populum proditorie patratis
Imperanti Sacerdoti Sacerdos comes
De claustris ad castra ductus
Ore, quo aras foedauerat, bellum inuexerit,
Flammeo spiritu flammas auxerit;
Turbas, Rebelliones, rapinas, scelera,
Galeatus, ocreatus, cruentus persuaserit;
Gallos Onager ad pugnas excitaverit.
Justum Principem iniuste opprimere docuerit,
Ad Romæ, totiusq; Italiæ interitum viam strauerit,
Orbis Vniuersus
Hanc furcam, in triumphalem arcum erexit bñ merenti
Funis detracta fuemori
Laqueum Collo dabit

Venetijs ex Typographia
Quarbarum 1630.

475

Digressio ad Italiam

Quando inter arma trepidi mutescunt Cygni,
Argutus aliquis inter cygnos gingricet Anser,
Nam Gallis Capitolium mussitantibus
Animosiores fuere Anseres, quam Cygni.
Expergiscere Italia. Iam præ foribus Gallus clangit.
Ac de summis Alpibus Capitolio minatur.
In septem colles vibrandum Alpinas inter nives cuditur fulmen
Iustis omnibus minatur, qui unicum inuste opprimit.
Invenit hostis honestum mancipandæ Italiæ titulum, Libertatem
Planè hoc decerat malis tuis, ut servitutem vocares beneficium
Possunt nunc religiosa dici arma, qa religiosi armatos ducunt,
Et infulati Sanctæ Sedis Speculatores Spiculatores evadunt.
Sacrilega sunt arma, quæ sacrâ tractantur manu
Semper Vaticano timendi fuerunt vates armati:
Miles mitræ imperat, cum militibus mitra imperat;
Parum est mitram galeæ imperare, nisi et cucullo galea serviat.
Quippe ne minus religiosi Gallorū Ducum sint consulti quam duces
Videres Stigmaticum Claustri alumnum è claustro ad Castra desultantem
Inter Capucinatos, nudum ocreis prophanare pedem,
Et sacro Lacernæ Cinere bellicos ignes fovere:
Diceres de tàm pio amictu nil impio convenire præter funem.
Quinetiam contra Germanicum Principem perduelliū manus irritat
Et argutè consulenti Præsuli, cædium et rapinarum pangit oracula,
Alterno videlicet præmio;
Præsul Consulem à regulari severitate, Consul Præsulem
ab irregulari sacrilegio absolvit.
Huic illi ornando Capiti purpuram pollicetur
Huic ille tegendo sceleri cucullum præbet
Ita qui Davidica Cythara armati Saulis dæmonem compescere
deberes.

Infanda uoce Dæmonum ingerit Sauli
Et miraris tot postes, cum aris deuotæ manus arma præcedant
Ac diuis placandis obstricti irritant diuos?
Ab Gallico Socrate num conualescetis, nisi Gallum Aesculapio mactatis

Quid dissimulas Hadriæ Regina?
Iam dudum oblita Leonem quoque tuum à Gallo fugari?
Sororem qui spoliat, te ornabit?
Iustus non esset.

Audi Hispania, sternitur hæc tuæ Virtutis seges.
Gallum Torquatus occidit; at gladio Hispano
Gladios affer: Torquati non deerunt.

Cum tuum Auguste Cæsar per Galliæ uiscera decurrat ferrum
In Galli uisceribus auspicem uictoriæ gemmam asserit inueniri
Hanc tuæ coronæ insere

Tu uero Magne Orbis Pater Vrbane, urbi caueto
Gallum Petrus non uidit, quin amarè fleuerit, et foras exierit.

Ab his apibus omen cape
Solum de floribus lilium odere apes, noxam expertæ.
Age denique Saturnia Italia, uirulenta ut reseces lilia,
Saturnus tuus falcem tenet.

Venetijs ex Typographia Iuntarum 1630